

## LIBER PRIMVS:

Scientibus ad exactæ scientiæ methodū retulerūt, quorum primus fuit Laërtio authore, Pythagoras Samius, ad cuius inuentiones multa Architas, nec pauca Plato, Eratosthenes, Euclides, Philoläus, Scopinas, & Archimedes ambo Syracusani, quorum alter in hoc genere singulares elegantias inuenit, paulatim augendo disciplinæ corpus perfecerunt, quæ deinde in alias rerum naturas trāslata, plures ex sese disciplinas procreauit, ueluti in cantibus musicam, in syllabarum coniunctionibus Rithmica, in cælo stellarum exortus, & occasus in singulos dies computationes, aliaq; innumera eius generis, quæ quod longius ueluti à fonte defluerunt, alia etiam pro qualitate rerum, quibus applicata sunt, nomina inuenerunt: ita & hæc quam dixi logisticam, nō aliter ad arithmeticam pertinet, quam ad geometriam optice aut stereometriam, quæ illi unde fluxerunt hypallaxia Aristoteles esse scribit, non uero subiectas species. Hæc itaq; curiosius paulo diximus ante artis inchoationem, ut studiosis rectam huius scientiæ prolepsin ingereremus.

### ARTIS COMPUTATORIAE usus & utilitas, CAP. III.

**Q**Uæ hucusq; proloquuti sumus non ea ratione dicta sunt, ut rationem cōputandi logisticæ uidelicet, inter artes contemptibiles, ac uiles numerari oportere existimemus, uerum ut utriusq; di-

B B